

Euthymius. Illi vero egressi demigraverunt in gregem porcorum; Arias. Et ecce irrumpit totus grex.

ALTER TEXTUS.

Marc. 5. 13. Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos; & magno impetu grex precipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mare.

Luc. 8. num. 32. Et permisit illis. Ibid. num. 33. Exierunt ergo Dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos; & impetu abiit grex per præceptum in stagnum, & suffocatus est.

EXPOSITIO.

63. Sensus litteralis.

CONCESSIT Dominus, ut in porcos intrarent Dæmonia, non annuens votis eorum, sed ut divina virtus Christi manifestaretur, siquidem ex ejus imperio Dæmones ab homine exibat, & in porcos ingrediebantur. At illi exeuntes abierunt in porcos, accepta facultate exierunt ab hominibus, & indilate in porcos ingrediuntur. Et ecce impetu, hoc est, magna, & incredibili vehementia, abiit totus grex per præceptum in mare. Totus grex, ut dixi supra, partim erat in monte, partim circa montem. At ubi Diaboli ingressi sunt in porcos, statim illa animalia convolarunt ad montem, & ibi de rupe, ut expressit Syriacus, montis imminenti, ac per præceptum, & loca prærupta totus grex, qui, ut notat Marcus, ad duo millia erat, in mare irrumpit. In mare, scilicet Genesareth, de quo facta est mentio, & prope quod miraculum acciderat. Et mortui sunt, non enim invaserunt Dæmones porcos, ut in eis manerent, sed ut in stagno suffocarent, ac submergerent.

QUESTIO XI.

Quare Dæmones non permittantur ingredi in porcos, nisi prius petita licentia? Et cuiusnam essent porci illi?

64. DUBITANT Doctores, cuiusnam essent porci illi, quorum ingressum expostulant Dæmones: Carthusianus, cum quo con-

sentit Caietanus, & probabile iudicat Abulencan. Cant. 4. Abulenc. Iansenius. fuisse Ethnicorum. E contra vero Iansenius, & probabilis iudicat Abulensis citatus, in qua sententia videtur esse Rupertus allegans. Rupertus. Dæmones tenent gregem fuisse Iudæorum; & Iudæos pascere porcos potuisse, non ut vescerentur, sed ut Ethnicis venderent. In hoc dubio nil firmum dici potest, cum nulla efficax hac in re sit conjectura; & facile quis sustinebit, quod ille grex tam magnus; ad duo millia porcorum; ut explanat Divus Marcus, & qui multos habebat pastores, ut notant Evangelistæ, partim pertinebat ad Iudæos, partim ad Ethnicos; nam illa regio trans Iordanem ab utrisque habitabatur, ut tradunt Iosephus de bello. Abulensis capite octavo Matthæi, questione 63.

Ad principalem questionis partem veniamus, quare scilicet Dæmones non permittuntur ingredi in porcos, quin prius ipsi publice, & alta voce à Christo licentiam expostulent, illamque obtineant? Respondeo primo, quod hoc ordinatum est Dei consilio, ut ipsamet Dæmonis confessione eunctis fieret manifesta iniqua, atque maligna Dæmonis voluntas tenendi, ac nocendi hominibus. Et simul declararetur eximia Christi potestas. Malignitas Dæmonis patebat, quia si expellebatur ab hominibus, ingressum in porcos volebat; ut si homini in se ipso nocere non poterat, illi saltem in rebus ipsius damnum daret, ac detrimentum. Hac etiam dæmonis postulatione Christi potentia fiebat maximè nota, siquidem nec immunda animalia, ut notant Divus Chrysostomus, Euthymius, Paschasius, Bonaventura, & alij, Diabolus poterat introire, nisi ex data licentia, ac permissione à Christo, Quod erat efficacissimum ejus potentie argumentum; nam, cum Diabolus superbissimus fieret, ac nimis arrogans, dum se humiliat licentiam poscens, vehementissimè omnibus supremum Christi dominium, evidens, ac notum faciebat.

Secundò, D. Ambrosius hoc loco lib. 6. in Lucam, sic ait: Primum clementiam Domini debemus advertere, quod nullum prius ipse condemnat sed unusquisque sibi auctor est pena. Non mittuntur in porcos Dæmones, sed ipsi petunt. Mandavit Dominus, ut Dæmones exirent ab hominibus. Cur etiam eis non imperat, ut in porcos ingrediantur? nam divina potestas æquè facile utrumque præstare poterat? Cur ergo Dominus expectat, ut Dæmones hoc postulent, & obsecrent: Mitte nos in porcos: Dæmones Christum rogarunt, ne eos in abyssum mitteret; & tamen ubi primum ingressi sunt in immunda animalia, statim per præceptum in aquarum abyssum se dederunt. Non ergo eis mandat Dominus intrare in porcos, sed ipsi hoc expostunt. Tanta est Domini benignitas, & nulli creaturæ ex se mala, dejectioneque patet, sed unaqueque creatura causa sibi est, auctori que mali, atque illud, sibi ambit, & procurat. Vide Domini clementiam nullum prius ipse condemnat, sed unusquisque sibi auctor est pena.

Tertiò, Tertullianus lib. de fuga, capite 2. Nec in porcorum ait, gregem Diaboli legio habuit potesta

potestatem, nisi eam de Deo impetrasset, tantum abest, ut in oves habeat. Possimus dicere porcorum quoque fetas tunc numerarias apud Deum fuisse, nedum capillos Sanctorum? Poterat Dominus indilate imperio suo expellere Dæmones ab hominibus illis, tamen his obsecrationibus dat locum, ut ex propria Dæmonis confessione imbecillitas illius fieret cunctis aperta. Si enim ille, nisi Deo permittente, & concedente, in illa animalia immunda nihil audere poterat, quanto magis in Christi oves nihil poterit? nunquid apud Deum magis sunt porcorum numeratae fetæ, quam Sanctorum capilli? minime.

68. Imò potius ut videatur, quantum ovibus, ac Sanctis Christi subiciantur Dæmones, aliquando ab ipsis persequendi aliquos accipiunt facultatem, ut constat ex Paulo, qui Hymenæum, & Alexandrum tradidit Satanz, 1. Timoth. 1. numero 20. Ac si Diabolus totam suam immanem in eos crudelitatem exercere non valeret, nisi habita prius ab Apostolo facultate. Unde citato cap. concludit Tertullianus. Vides jam, & à servis Dei facilius Diabolum accipere potestatem: tantum abest, ut eam ex proprietate possideat.

Tertull.

QUESTIO XII.

Quare Dominus concessit Dæmonibus, in porcos introire?

69. Hieron.

ARIE rationes hujus rei assignantur à Patribus. Primò D. Hieronymus hoc loco Matthæi, sic ait. Non quod concesserit Salvator Dæmonibus, quod petebant, sed ut per interfectionem porcorum hominibus salutis occasio præberetur. Pastores, illa carnes; statim nuntiant civitati. Permittit Dominus, ut tot porcorum interfectione longè, latèque miraculum divulgaretur, fieretque maximè compertum ad hominum salutem, qui simul, Christi Domini potentiam agnoscentes benignitatem, ac severitatem ejus etiam viderent: benignitatem erga homines à Dæmonibus liberatos; severitatem erga immunda animalia in mare præcipitata: & ita intuentes simul misericordiam ejus, & judicium, Christum Dominum maximè colerent, ac venerarentur.

70. Chrysof. Secundò, Divus Chrysostomus hom. 29. multas dat rationes, ut omnes perfectam haberent sevam Dæmonum crudelitatem. Tertio, Ipse, & Theophylactus. Concedit Christus Dæmonibus intrare in porcos, demonstrans, qua amaritudine, & odio in homines ferantur; & si eis daretur potestas, ac divina virtute non prohiberentur, pejus nos, quam porcos affligerent. Et idem tradit D. Thomas. Quarto idem Chrysostomus. Ut omnibus fiat evidens, quod Dæmon, nisi Deus permittat, neminem lædere potest; ut explicavi latius superiori quæst. Quintò ipse Chrysostomus. Ut appareat manifestum, singularem esse Dei providentiam erga singula, nisi enim hoc fuisset, illi homines oblecti, jam essent à Dæmonibus suffocati, ut jam supra dixi ex D. Basilio.

71. Euthym. Sextò Euthymius. Ut mors porcorum, Dæ Sylovia in Evang. Tom. 11.

mones ab hominibus exisse, confirmaret, ac demonstraret. Septimò, D. Augustinus tractat. August. 6. in Ioan. hanc moralem rationem præbet, Diabolus in certa, inquit, mysterij gratia, & certa dispensatione dimisit Dæmones in porcos, ut ostenderet, Diabolum in eis dominari qui vitam porcorum gerunt. Octavo Divus Basilius Seleucus orat. 23. sic ait: Basil. Seleucus. Cur igitur, ô Domine, Dæmonibus potestatem facis? Cur eorum nequitia gnarus, verbis persuaderi se visisti. Vt discamus nos homines, porcos Dæmones esse infirmiores, tum Deus obstat. Vt Dæmonis infirmitas videatur, concedi, si quidem ipse in vilem vitam, atque abjectam creaturam nihil valer, cum sub manu Dei cuncta sint posita. Nonò, Aliam rationem reddit ipse S. Pater, ut videamus, quam necessarium sit nobis Dei auxilium, atque protectio; si enim ipse non custodiat, aut nos in inimici manibus linat, cuncti in interitum ibimus. Decimò, In laudem petitionis, ac orationis, quandam rationem valde moralem supra iaculavi q. 1. n. 6.

Undecimò, D. Bonaventura. Concedit, ut se ostendat omnium rerum Dominum, qui potest prohibere, & concedere ingressum in Porcos, aut rem quamcumque aliam. Mea sunt omnes fera sylvarum, jumenta in montibus, & boves, Psalm. 49. numero 10. Duodecimò, idem D. Bonaventura. Ostendit Dominus in hoc, quod magis diligit salutem unius hominis, quam millia brutorum animalium: ac proinde cum Dæmones exissent ab homine, veluti videbatur, quod in contemptu haberet cætera temporalia, Porcos autem omnibus, quoniam ista sunt, Dotius, qui amas animas, Sapient. 21. numero 27.

Decimotertiò, Hoc permisit Dominus in prænam Gerasenorum, ut innuit Albertus Magnus. Alb. Magn. Qui cum essent Israëlitar, porcos alebant, ad eos contra Dei legem comedendos, vel aliis parabant occasionem vescendi eis contra Dei mandatum. Et meritò tales Domini permisso puniuntur perentibus eorum gregibus, atque consumptis. Ait Osee cap. 13. numero 1. Loquente Ephraim, Osee 19. horrore irasisti Israël, & deliquit in Baal, & mortuus est. Quando Ierobam erexit vitulos aureos, tunc verba habuit; quibus omnes ad eos adorandos provocabat. Ex quo terrore ductus Israël, in vitulorum adoratione deliquit. Sed quid ex hac negotiatione peccatorum Israel sibi comparavit Ephraim, nisi mortem, & interitum, ut ibi pondera Divus Hieronymus. Et mortuus est, ait S. Doctor, morietur cum populo, quem seduxit. Qui aliis peccandi occasiones parat, nil aliud sibi nisi mortem; ac præcipitium comparat.

QUESTIO XIII.

Quare ubi primum Dæmones ingressi sunt in porcos, ipsi statim submergantur in mare?

74. N limine hujus questionis inquirendum est, an Dominus permiserit ingressum dæmonum in porcos, ea intentione, ut ipsi submergerentur? Negat Toletus in cap. 8. annotat: 74. Ait

Ait enim, quod Dominus id concessit ex intentione ostensionis miraculi; malitia autem Dæmonis illa subversio facta est, ut ex odio, & mala voluntate sua illud damnus inferrent hominibus. E contra verò, quod mihi est probabilius, id permissum fuisse ex intentione etiam, ut illa immonda animalia intreret in mare, docent Albertus Magnus, Caietan. Et in hac sententia videtur esse, D. Chrysostomus, D. Augustinus, D. Basilius Seleucus, D. Bonaventura, & alij, Et hæc resolutio duabus sequentibus rationibus stabilitur

Alb. Mag. Caietan. August. Chrysol. Bas. Seleu. Bonavent.

Ad quæstionem respondet primò Albertus Magnus. Cum omnis porcos naturaliter sciat natate, non poterant isti tam subito submergi, nisi à Dæmonibus præcipitati. Et in hoc instruit, ac declaravit Dominus ferocitatem Dæmonum ad nocendum, ut magis ab hominibus abhorreantur, & fugiantur. Horribilis, & terribilis est: ex semetipso iudicium, & onus ejus egreditur, Habac. 1. num. 7. Secundò Caietan. Ideo in porcos Dæmones vexantes hominem misit Dominus ad submergendum statim porcos, ut pertinacia negantium, Dæmones vexare hominem, attribuendo vexationem ægritudini corporali, manifeste ex hoc facto convicta confutaretur; si quidem una ægritudo ita univrsam gregem vexare non poterat, ut subito in mare omnia animalia submergerentur. Tertio. Hoc factum est, ut dixi superiori quæstione, in pœnam eorum, qui porcos alebant ad comedendum contra Dei legem. Alias rationes morales apponamus.

Habacuc. 1. Caietan. Miraculi evidentia.

Quartò iterum veniat D. Hieronymus supra datus hoc loco. Non quod concesserit Salvator, ait, Dæmonibus, quod petebant; dixit: Ite, sed ut per interfecionem porcorum hominibus salutis occasio præberetur. Valdè mirum, quod Christus non mandat, asinam ad se adduci, nisi prius habito verbo cum Domino suo, Luc. 19. n. 3. tamen permittit Dominus tam amplam porcorum gregem in mare submergi, & suffocari, nullo facto verbo cum dominis illius. Cujus rei optimam rationem insinuat cæcatus Hieronymus. Nam communi hominum saluti in tot animalium submergione attendebatur. Ut per interfecionem porcorum hominibus salutis occasio præberet. r; ut omnes ita Christi potentiam agnoscerent. At in asinæ adductione commoditati propriæ videbatur consultum, ut illà Dominus in civitatem asportaretur. Vbi ergo proprii levaminis spectabatur negotium, Christus omni se exhibet urbanitate lenis, expectatque domini beneplacitum. Vbi autem commune omnium commodum, ac salutis utilitas eminebat, despoticè, ac magno imperio agit: tali enim, non pro suo peculiari, sed pro communi omnium commodo Princeps utatur.

Non pro suo commodo, sed pro communi Princeps agat cum magno imperio.

Quintò D. Chrysologus sermone 17. sic ait: Demergi in mari, & fluctibus perire grex maluit, quam eius immunditiam pati, & putredinem tolera. Ingrediantur Dæmones in illa animalia. Et quodam naturali imperio rotus grex corruit in mare, eligens potius grex ille perire, & suffocari in aquis, quam Dæmonum in se fœtorem, immunditiam, & turpitudinem ferre, ac sustinere. Sed proh dolor! homines ratione præditi suis peccatis se tradi non dubitant, ut Dæmonum mancipia fiant.

77. Chrysol.

Potius eligenda mors, quam Dæmonis iugum.

Sextò, Euthymius. Ingrediantur autem, ait, 78. Dæmones porcos, eos videlicet, qui irrationabiliter conversantur, & in cæno voluptatum voluntantur, ac illos in perditionem præcipitant. Sunt Dæmones in hominibus per multa tempora, ut de uno ex his dæmoniacis exprimit D. Lucas cap. 8. n. 27. & quamvis eos maxime vexent; eos tamen non interimunt: at ubi ingrediuntur porcos, statim eos dant in præcipitium. In his animalibus adumbrantur delictiosi, ac turpiter luxuriantes, vitiiis, ac voluptatibus dediti, & de horum consortio Diabolus maxime vires acquirat ad perdendum, destruendumque eos, qui in ipsa vitiorum voragine inveniuntur. Vel. cum porci sint maxime luxuriantes, in eis lascivi ac voluptuosi exprimuntur, qui semper jactantur sunt propinqui; & ita à Domino perditioni traduntur.

Dæmon vitiorum ex lascivi perditioni ad diti.

Septimò D. Ambrosius lib. 1. in Hexaëmèron, c. 8. Porci, ait, se in stagnum aquarum præcipitant, ut quod recusabant Dæmonia, non evaderent, sed digno præcipitio demergerentur. Dum adhuc in hominibus obsessis essent Dæmonia, à Domino precabantur, ne eos in abyssum mitteret: modò tamen ipsi se dant in aquarum abyssum; in pœnam enim, quam fugere optabant, suæ malitiæ pondere irruunt: ac præcipitantur: atque in abyssum, in quam detrudere homines volebant, justo Dei iudicio cadunt, & corruunt.

Peccator in pœnam incidit, ut quam effugere cepit.

Goliath suo gladio, armabatur, 1. Regum 17. num. 10. ad se tuendum, & persequendum populum Dei. Aliter factum est; nam ipsemet gladio in eum versus est, & illo à Davide est jugulatus, ut rectè ponderat D. Augustinus serm. 197. de tempore. Quod, ait, David non habens gladium ascendit super Goliath, & suo eum proprio interfecit gladio? designatum, quod in adventu Christi suo gladio Diabolus victus est, qui per nequitiam suam, & iniustam persecutionem, quam exercuit in Christum, omnium in eum credentium perdidit principatum.

Peccator suo gladio interficitur. August.

Matth. 8. n. 33. Pastores autem fugerunt & venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, & de his, qui Dæmonia habuerunt.

Ibid. num. 34. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu: & viso eo, rogabant, ut transiret à finibus eorum.

VERSIONES.

Syracus. Illi autem, qui pastores agebant fugientes, sese receperunt in urbem, ac renuntiaverunt, quicquid acciderat, deque ipsis dæmoniacis.

Vatablus. Porrò, qui pascebant, auferunt, & profecti in civitatem.

Eusby

Euthymius. Digressi in civitatem. Exiit itaque tota civitas in occursum leschua: quumque adspexisset eum, perierunt ab eo, ut ex finibus eorum excederet.

Syracus n. 34.

EXPOSITIO.



ASTORES, seu pascentes gregem, cum vidissent, ut exprimit D. Lucas, quod factum fuerat, fugerunt, partim territi spectaculo, ne ipsi etiam pariter à Dæmonibus perimantur: prudentia est, in alieno periculo proprium timere: partim etiam fugerunt, ut noletant Toletus, Franciscus Lucas, ut rem totam dæmonis porcorum nuntiarent, ut ita fieret evidens, quod ipsis non erat imputandum damnum, quod acciderat. In civitatem nuntiaverunt omnia, scribit Mattheus, Marcus vòrd ait, In civitatem, & agros, Lucas sic refert: In civitatem, & villas. Per hæc omnia pastores divulgabant porcorum perditionem, & à Dæmonibus hominis liberationem per Christum factam. Ita narrabant admiratione ducti, timore agitati, vel quia etiam tam ampli gregis multi erant domini, quidam in civitate, alij in villis, & agris. Et ita Christi miraculum longè latèque per omnium ora divulgatum est.

81. Prudentia in alieno periculo proprium timere.

82. Legimus sensus.

ALTER TEXTUS.

Marc. 5. n. 14. Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in agros, & egressi sunt videre, quid esset factum.

Ibid. num. 15. Et veniunt ad Jesum: & vident illum, qui à Dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt.

Ibid. num. 16. Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei, qui Dæmonium habuerat, & de porcis.

Ibid. num. 17. Et rogare cæperunt, ut discederet de finibus eorum.

Lucæ 8. n. 14. Quod ut viderunt factum, qui pascebant, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in villas.

Ibid. num. 35. Exierunt autem videre, quod factum est, & venerunt ad Jesum, & invenerunt hominem sedentem, à quo Dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente, ad pedes ejus; & timuerunt.

Ibid. num. 36. Nuntiaverunt illis, & qui viderunt, & quomodo sanus factus esset à legione.

Ibid. num. 37. Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur.

QUESTIO XIV.

Quare Geraseni rogabant Dominum, ut discederet à finibus eorum?

AUSAM hujus petitionis, ac rogationis, D. Chrysostomus homil. 29. in Matth. tribuit ingratitudini. Unde sic ait: Clementiam Christi considerava, nam cum à regione sua, qui hæc macula viderent, cum ingrati abigerent, non repugnavit; sed cessit. Ex quibus patet, D. Chrysostomum Gerasenorum ingratitudini tribuere hujusmodi preces. Tamen D. Lucas has obsecrationes expresse adscribit timori, ait enim: Rogaverunt illum, quia magno timore tenebantur. Ex quo D. Hieronymus 8. Matth. hoc loco ad humilitatem Gerasenorum hoc refert, & sic ait: Quod rogant, ut transent à finibus eorum, non de superbia hoc faciunt, ut nonnulli arbitrantur, sed de humilitate, quia se presentia Domini indignos judicabant, sicut Petrus in captura piscium cadens ad genua Salvatoris ait: Exi à me Domine, quia vir peccator sum. In eadem sententia sunt D. Paschasius lib. 5. in Matth. Albert. Magni, D. Bonavent. & alij.

83. Chrysol.

Ingrati dæmoniaci.

84. Hieron.

Paschas. 115. Albert. Mag. Bonavent.